DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HÆMORRHAGIA UTERINA.

AUCTORE ROSS M'CLINTOCK.

Morborum omnium quibus corpus humanum obnoxium est, pauci attentionem medici, quam Hæmorrhagia Uterina, jure meliore sibi vindicant. Per se adeo metuenda visu est, ejus effectus sunt adeo nocivi, ut curam summam postulet. Ad remedia, quam maxime prompta et efficacia confugere oportet, patientia maxima adhibenda est ; et quandocunque aliquis exemplum hujusmodi sibi tractandum suscipit, cogitationes omnes de suo



labore, et de fatigatione, necnon de lucro statim negligere debet, et quæcunque fuerit conditio vitæ ordoque in societate ægrotantis, ad eam constanter respicere. De sua fama, et bona suæ mentis conscientia, de vita ægrotæ et de vita infantuli agitur.

Mihi in animo est breviter rationem medendi recensere, quam in nosocomio puerperarum Eblanensi per sex menses usurpatam vidi, dum institutionis illius magnæ et liberalis alumnus residens eram. Causæ, partesque aliæ ad thesin perficiendam necessariæ, maxima ex parte, e prælectionibus Doctoris Pentland illius nosocomii medici, obstetricis, et prælectoris, deducuntur.

Hæmorrhagia, igitur, Uterina, profluvium est sanguinis velox et periculosum ex utero gravidæ aut puerperæ, quovis gravitudinis tempore, vel statim post fœtum vel placentam expulsam aut extractam accedens. Hoc, ob magnitudinem et impetum, sermone vernaculo haud inepte "a flooding" vocatum est; et quoniam frequentius acci-

dit, non potest esse quin cujusque medici maxime intersit.

Ut, unde profluvium fiat, et qua ratione optime prohibeatur aut sistatur, intelligamus mutationes quæ in utero post conceptionem fiunt, modumque quo placenta membranæque constituuntur, recensere oportebit. Jam vulgo inter physiologos convenit, necessarium esse, ut semen masculinum, per tubos Fallopianos, quorum fines fimbriati ovaria amplectuntur, pervectum ovis applicetur, antequam conceptio fiat. Brevi ovum unum, vel fortasse duo, impregnata separantur. Nondum ab anatomicis compertum est accurate, quo demum tempore ovum uterum ineat; sed plerumque hoc non nisi post diem vigesimum aut trigesimum accidit. Dum ovum tubo inest, magna in utero mutatio fit: is officium suum quasi prænoscere videtur, ac sese ad fœtum tenellum nutriendum, alendum et augendum præparat. Arteriæ, quæ per uteri substantiam distribuuntur, mole augescunt, venæque adeo crescunt, ut sinus appellari mereantur: per ejus corporis fundique superficiem internam for-

matur decidua vera ; quæ ostia tuborum obstruit, et ad cervicem tensa saccum clausum efficit ; qui, uti BURNS ex cadaverum sectionibus a se institutis depingit, e stratis duobus constat, quorum quod utero proximum est, vasculis admodum refercitur, alterum ex gelatina firma et tenaci constat. Quum primum ovum descendit, membranis duabus, amnio scilicet interius, chorio exterius obtegitur; præterea ubique vasis obducitur, unde ab aspectu chorion spongiosum dictum est. Quum ovum per tubum progressum est, quo minus in uterum decidat, a decidua prohibetur; sed hæc, ovo crescente, crescit quoque, et cum illo in cavum uteri eminens decidua reflexa vocatur ; dum vasa chorii sese quasi in vasa deciduæ impingunt, adeo ut illa partem placentæ fœtalem, et hæc maternam constituunt. Vasa ea, progrediente gravitudine, paulatim augentur ; venæ valvulis carent, et liberum inter se per anastomosin habent, ideoque si decidua aut placenta vel minimum separata fuerit, nisi quando separatio post partum fit, utero sese contrahente, hæmorrhagia necessario inducetur.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Nulla ætas, nec corporis habitus, nec valetudinis conditio periculo, quod infert talis Hæmorrhagia, omnino immunis esse videtur. Illæ quæ jam hoc malo laborarunt, eidem redituro in puerperiis futuris obnoxiæ esse dicuntur; sed quam vere nescio.

CAUSÆ EXCITANTES.

Causæ quæ Hæmorrhagiam Uterinam cient admodum numerosæ sunt, quarum aliquot hic proferre conabor. Quodcunque placentam ab utero (nisi hujus contractionem naturalem partu edito excipias) separare potest, pro causa hujus mali haberi queat. Hujusmodi sunt vis externa, nisus magni in ponderibus tollendis, in quibus contractiones validæ septi transversi et musculorum abdominis postulantur, unde pressura tanta utero affertur, ut plus minusve partem placentæ deciduæve sejungat. Actio insolita vasorum partium istarum,

earum tunicas lacerare, et ita hæmorrhagiam inducere potest. Conditio plenior in junioribus robustis et impigris, deciduam separet, ac pauxillum sanguinis effluat ; vel placenta sejungitur, et profluvium magis metuendum sequitur ; et hoc iis temporibus præcipue accidere dicitur, quum menstrua incessissent, nisi fœmina gravida facta fuisset. Hæ sunt plerumque Hæmorrhagiæ Uterinæ causæ, quando placenta ad fundum vel corpus uteri situm habet ; hæc igitur Hæmorrhagia Accidentalis * nominata fuit. Sed quotiescunque super os uteri locatur placenta, profluvium sanguinis semper partum antecedit, ideoque Hæmorrhagia Inevitabilis dictum est † : hoc in exemplo gestatio raro ad tempus justum progreditur : mensibus enim in ultimis gravitudinis, mutationes ad cervicem et os uteri fiunt, quales vasa quæ iis placentam annectant, rumpere possint, ita ut gestatio abrumpatur ; uterus sese contrahere, osque ejus sese pandere inci-

---

* Rigby on Uterine Hæmorrhage.

† Idem.

piat; plura vasa idcirco rumpantur, atque nisi auxilium tempestive afferatur, et mater et infans cito interibunt. Siquando Hæmorrhagia Uterina post puerperium accedit, defectu contractionis uteri, abnormi ejusdem contractione, aut mutatione structuræ placentæ, morbosam ejus ad uterum adhæsionem inducentis efficitur. Defectus uteri contractionis causa est hujus vitii creberrima, et sæpe tractationi puerperæ in primis stadiis partus imperitæ debetur. Si puerperium, debilitate ægræ aut febrili valetudinis vitio, diutinum factum est, inertia uteri post partum facile sequitur. Torpor uteri sæpe, truncum fœtus e pelvi evellendo vehementer, quamprimum exiit caput, vel nimis rapide in operatione vertendi, extrahendo, vel usu instrumentorum, arcessitur. Quum uterus se partim et abnormiter contrahit, ob nisus rudes ad placentam evellendam, funiculo umbilicali statim post partum tracto, pars placentæ separatur, et Hæmorrhagia sequitur. Sæpissime pars aliquæ placentæ in materiam cartilaginosam vel osseam convertitur, ac utero adeo arcte adhæret, ut hujus actio naturalis

illam sejungere et ejicere nequeat; sed parte placentæ separata, et uteri contractione ea præsente prohibita, Hæmorrhagia arcessitur.

DIAGNOSIS.

Hæmorrhagiæ Accidentales et Inevitabiles inter se optime dignoscuntur examinatione per vaginam. Si enim placenta tactui sensum quasi asperum, spongiosum et carnosum præbet, facile a coagulo sanguinis dignoscetur, ab iis qui situm naturalem membranarum aquis tensarum sentire assueti sunt: necnon, si placenta se offerat, profluvium sanguinis usque dum uterus se contrahit, ob ejus oris dilatationem, vasorumque rupturam, augescet; si vero Hæmorrhagia Accidentalis fuerit, et placenta situm naturalem teneat, profluvium, dum dolor instat, sese sistet, et, utero se relaxante, inter paroxysmos contractionis; quia, quum uterus se contrahit, placenta sacco aquarum vel fœtu arcte compressa partem separatam superficiei vasorum

admovet, et hoc, cum mole vasorum per contractionem minuta, fluxum compescit. Num hæmorrhagia morbis uteri sit referenda, necne, anquirere sæpe necesse est. Hoc in exemplo solita gravitudinis indicia desunt; sed adest ægritudo generalis; catamenia vel repressa sunt, vel per annos aliquot abnormiter effluxere; et exploratione per vaginam instituta, ulcera aut tubera morbosa, aut fabrica uteri prava, causa scilicet profluvii præter naturam, detegetur.

PROGNOSIS.

In periculo Hæmorrhagiæ Uterinæ æstimando, aut in remediis idoneis seligendis, ratio effectuum in constitutione generali, potius quam copiæ sanguinis effusi, haberi debet. In quibusdam, jactura unciarum paucarum signa inducet, qualia magnum periculum ostendent; dum aliæ libras aliquot amittent, neque multum laborare videbuntur. In quibusdam, pauxillum sanguinis amissum gestationem abrumpet, et nisus uteri ad expellendum inducet;

dum in aliis gestatio perstabit haud abrupta, etiamsi profluvium leve perpetuo manet, vel per menses ultimos gravitudinis nisu quovis leni recurrit. Ratio item, qua fit profluvium, variat effectus ejus in constitutione generali; et in processu gestationis, quum magna sanguinis copia subito amittitur, vires vitæ vel simul pereunt, vel si convalescat ægra, hæmorrhagiæ reditus plerumque comitatur, quæ uteri functiones deturbat, et eum ad contractionem ciet. Quum in ultimis gravitudinis mensibus, profluvium paulatim accedit, constitutio melius sustinere valet, et gestatio vulgo progreditur, et, tempore justo, nisi fœmina nimis fuerit debilitata, atque si exploratione per vaginam facta, os uteri molle et ad dilatationem facile, et non placentam, sed membranas aqua plenas reperimus, vitam ægræ incolumem præstare possumus, et prognosis, etsi caute, tamen feliciter dicenda erit. Sed quando valetudo generalis multum effracta fuit; quando profluvium subito et copiose incessit; vultus pallidus est et lividus, et multum anxietatis recludit; labra pallent, et nausea vomitusque molestus instant; pulsus vacillat; ipsa de vertigine, aut

oculorum caligine, tinnitu aurium, siti, et doloribus artuum conqueritur; porro aëra recentem flagitat: Si profluvium perstat, pulsus debilior, et abnormis denique exilis evadit: Delirium, cum jactatione magna, pulsus vel non omnino, vel tantum per intervalla percipiendus; tremores spasmodici; vultus distortio; inspirationes profunde post longa intervalla repetitæ, et demum syncope, mortem antecedunt.

RATIO MEDENDI.

Quoniam plerumque multum distat inter exitus Hæmorrhagiæ Uterinæ, et rationes curandi, pro tempore quo accidit diverso, eam contemplari oportet.

1*mo*, Uti in prioribus gravitudinis mensibus, ante finem scilicet sexti, accidit, quæ sæpissime in abortum desinit; 2*do*, Uti in ultimis gravitudinis mensibus, et inter tempus parturiendi, tempore pariendi justo, donec partus editur; et 3*tio*,

Uti ante et post placentæ expulsionem aut extractionem accidit. In prioribus gravitudinis mensibus, quum profluvium non admodum copiosum est, evanescet plerumque, si ægra situ decubitus contineatur, et aëris circa temperies frigidula servetur; item sanguinis detractione, si habitus plenioris sit; irritationem per opiata sedando, alvum regularem tenendo; regimine antiphlogistico sedulo adhibito; et aquam frigidam pubi et vulvæ sæpe apponendo; misturam acidi sulphurici aromatici, tincturæ opii et aquæ ad profluvium compescendum, et robur generale restituendum, multum prodesse sæpe vidi. Si vero, etiamsi hæc adhibuerimus remedia, hæmorrhagia perstat, quovis fluidum astringens frigidum in vaginam injicere, vel enema frigidum libram unam aquæ et semilibram vini rubri continens, immittere, haud parum prosit. Aliquando hæc omnia remedia spem fallunt, et profluvium adhuc perstat, imo ingravescit, ostendens, partem magnam ovi, vel fortasse totum, ab utero sejunctum esse, et abortum inevitabilem secuturum.

In exemplis quibusdam, etiamsi evanescat pro-

fluvium, per intervalla incerta redit, et copia haud parva, donec mense quarto vel quinto, vel etiam serius, ovum quod per menses duos tresve crevit, ejicitur. Talibus in exemplis, decubitus, fluidum aliquod astringens frigidum in vaginam injectum, aqua frigida dorso pubique admota, portiones parvæ acidi sulphurici bis terve in die datæ, plerumque profluvium compescere poterunt, donec ovum utero elapsum fuerit. Vires item copia modica cibi levis et nutrientis, cum pauxillo vini sustineantur. Neque necesse est manu naturam adjuvare in primis mensibus, neque revera fieri potest; quia hoc tempore, cum partes admodum strictæ sunt, injuria magna ita inferatur. Curatio Hæmorrhagiæ Uterinæ, quæ in ultimis gravitudinis mensibus, quovis scilicet tempore post finem sexti, accidit, ejusque quæ justo pariendi tempore invadit, jam tractanda manet.

In hoc morbo, hoc tempore, summi interest ut bene intelligamus num sit Hæmorrhagia Accidentalis an Inevitabilis, ut jam annotavi. Si ægra nondum ad plenum pariendi tempus pervenerit, si jac-

tura sanguinis non ullos in compagine universa effectus evidenter nocivos ediderit, si os uteri rigidum sit ac dilatari nolit, si haud multum doloris ex uteri contractione instet, mitigando signa urgentia, ut ad tempus parturiendi plena sustineatur mulier, laborandum est. Situ decumbendi sedulo contineri, ac stragulis quam paucissimis obtegi debet; aër in cubiculo libere permeare sinendus est, et frigida lotio, veluti murias ammoniæ in aceto et aqua solutus, pubi et femoribus per pannos laneos eo madefactos, et quotiescunque calefiunt renovatos, apponi debet. Si vero tantum abest ut Hæmorrhagia compescatur, ut etiam copiosior evadat, contractionem uteri excitari oportet, quippe quæ sola effectum habeat permanentem; et hoc semper liquorem amnii evacuando efficere poterimus. Quum profluvium ingens est, vagina admodum relaxatur, et os uteri se adeo aperit, ut hæ partes actioni uteri, etiamsi quam solito pariendi tempore longe debiliori, facile cedant. Liquor amnii emitti potest, digito indice intra os uteri immisso, et per eum membranis ruptis. Aliquando adeo tenaces sunt membranæ, ut digito perforari nequeant:

catheter fœminis accommodatus, tali in exemplo, super digitum immitti, et caute per membranas obtrudi, et ita liquor amnii effundi, queat.

Quum eorum, quæ continet uterus, pars sic amovetur, hic ad contrahendum cietur; latera vasorum ruptorum ad contactum inter se pervehuntur, et pars separata placentæ eorum ostia aperta comprimens, fluxum efficaciter sistit. Ulteriore uteri contractione fœtus caput facile per os uteri truditur; vagina relaxata facilem fœtui exitum præbet: sic ægra tuto liberatur, et omne periculum ab hæmorrhagia metuendum desinit, ex quo tempore liquor amnii emittitur. Hoc remedium cum summa spe exitus felicis usurpari queat, quum mulier antea peperit liberos, et os uteri ac vagina relaxata sunt, et ea facile exire fœtum situra esse arbitramur. In hac ratione usurpanda, interest ut infantem situm naturalem occupare bene intelligamus. Si vero profluvium tantum fuit, ut quando arcessimur, mulier debilis et ad deliquium proclivis sit; si porro, ex indiciis morbi generalibus, ægram ulteriorem sanguinis jacturam passuram esse, non nisi cum summo vitæ discrimine arbitramur;

rupturæ membranarum tum confidere nefas esset, sed statim ad fœtum eliminandum pergere oportet; et si, primo effluxu sanguinis sese prodente, membranæ ruptæ sunt, et hæmorrhagia adhuc perstat, adeo ut periculum minitetur, fœtus facile arte evelli potest; quia, si uterus ita se contrahit, ut operatio difficilis fiat, hac contractione hæmorrhagia compescetur, et partus accelerabitur. Si autem profluvium perstat, uterus non contrahitur, et versio multo facilius perficietur, quam ubi, postquam aquæ evacuatæ sunt, brachium fœtus se obstetrici offert.

Quæ hactenus de Hæmorrhagia Uterina in ultimis gravitatis mensibus dicta sunt, ad eam speciem præcipue pertinent, quæ a separatione accidentali placentæ oritur, quando ista locum naturalem obtinet; adhuc restat, ut de ea tractemus, uti occurrit, ubi placenta super os uteri impingitur. Juvat scire hanc speciem uti periculosissimam, ita rarissimam omnium esse. Quo hujus situs placentæ præter naturam rationem reddamus, putandum est, aliquod fuisse deciduæ veræ vitium, quo tempore ovum ad finem tubi Fallopiani pervenit;

itemque hanc membranam ab eodem uteri latere, ab ostio tubi ad os uteri usque separatam esse, adeo ut ovum nequaquam interpellatum in cavum uteri sit elapsum, et suo pondere ad os uteri descenderit, et ibi, si eadem ratione fixerit, ac se ad fundum fixisset, si decidua perfecta, et processus naturalis foret.

In exemplo hujusmodi certa regula est, ab auctoribus fere cunctis lata, unicam, scilicet, esse tantummodo medendi rationem, quæ cum beneficio usurpari queat, mulierem nimirum arte liberare. Remedia Hæmorrhagiæ Uterinæ e casibus orienti accommodantur, huic generi nil proficiunt; et sicubi tentantur, iis non eo usque confidere licet, ut remedium certius nimis moremur. Sæpe difficillimum est comperire, quo tempore maxime operationem instituere convenit; hoc vero semper a judicio obstetricis pendebit. Ad copiam sanguinis amissi, et effectus in compagine universa, sedulo respicere oportet. Quum partes per quas infans exire debet, sine injuria se dilatari sinunt, mulier in latere sinistro quam proxime ad lecti marginem

locanda est ; genua reducenda abdomen versus, et per culcitam a se invicem separanda ; manus operantis oleo bene illita, et in figuram coniformem redacta, in os externa immittenda est ; et quum hoc rite distensum fuit, tarde ad os uteri pervehenda, hoc caute omnino et lente dilatandum est, ut manus super id impactam perveniat : parum interest an ea separetur, donec ad marginem ventum sit, manusque extra membranas intrudatur, quæ quidem membranæ ad libitum rumpantur, an substantiam placentæ perforemus, et manum recta ad ovum dirigamus ; et si quidem ratio prior spem fœtum servandi meliorem præstat, tamen ratio usurpanda a parte majore minoreve super os uteri impacta pendebit.

Manus operantis deinde admodum lente per latera, crura et femora fœtus pervehenda est, usquedum ad pedes ventum fuerit, qui manu firmiter prehensi, motu leni undulante in pelvim deducendi sunt.

Jam morari decet, donec uterus se contrahit, tunc autem pedes leniter per partes externas trahere. Partus tum quam maxime accelerandus est, si modo infantis matrisque saluti respiciatur, eadem ratione, ac quando artus inferiores manui obstetricis se offerunt.

Fluxus sanguinis semper separationem et expulsionem placentæ comitatur; sed quæ effluit, copia, in diversis fœminis, sine ullo, quatenus spectari potest, effectu in compagine universa, admodum variat. In exemplis naturalibus copia sanguinis, quæ cum placenta exit, ea tantummodo est, quæ tempore separationis vasis uteri inerat. Si vero uterus non contrahitur, quamprimum placenta separatur, sanguis adhuc in ejus cavum effundetur, donec vel remedia idonea ad contractionem ciendam adhibeantur, vel ægra conficiatur. Aliquando Hæmorrhagia Uterina admodum insidiose aggreditur, et lethalis evadit, etiamsi nil sanguinis se extra ostendat; si enim postquam fœtus exiit, placenta aut coagulum in ore uteri aut vagina viam obstruat, etiamsi quo minus profluvium se externe

ostendat, prohibetur, tamen intus perstare potest, uterusque cedere, donec plene distendatur. Indicium, quod primum de tali casu medicum certiorem facit, languor est et defectio, de quibus ægra conqueritur; vultus pallescit, atque summam anxietatem demonstrat; manu admota, abdomen amplius quam ante partum etiam distensum invenitur; artus frigescunt; spirando laborat, convulse suspirat, et animam efflat.

Si talibus in exemplis, antequam collabatur ægra, obstructio tollatur, et contractio uteri excitetur, multæ sanguinis libræ ejicientur; et si mulier superstiterit, plerumque diu admodum debilitata manet. Ut casus istiusmodi evitentur, quando funis umbilici discinditur, et infans nutrici traditur, manus medentis abdomini matris admovenda est, et leniter imprimenda, donec uterus, quasi in globum, supra pubem contractus sentiatur: fascia lata deinde sub mulierem circumferri debet, et adeo stricte spinulis figi, ut quæ in abdomine continentur æque et firmiter sustineat.

In ægris quæ partubus prioribus Hæmorrhagia Uterina laborarunt, aut ubi, ob rationes alias, aspectumque generalem, torpor uteri hoc tempore timendus erit, summis viribus laborandum est nobis, ut evitetur. Præterea, quod manus ac fascia applicentur, ubi partus naturalis est, et, quamvis lente, tamen progreditur, quodcunque ægram defatigare aut irritare posset, evitare debet, atque, ut fœtus conatibus uteri solis eliminetur, sinere oportet. In hæmorrhagia ab inertia uteri oriente, quum profluvium sanguinis ingens est, præter applicationem fasciæ, manus benē oleo illita in uterum intromitti debet. In memoria autem tenendum est, manum immitti non ut placenta evellatur, sed ut uterus ad contrahendum stimuletur, ut hic eam ipse sejungat, et in vaginam expellendo, penitus profluvium sistat.

Quamvis plerumque stimulus utero manu per os uteri ineunte datus, ad contractionem ciendam sufficiat; attamen, ubi valde iners est, necesse fiat, postquam manus fuit immissa, pressuram digitis in ejus superficiem internam et placentam

facere, itemque aliquamdiu in ejus cavo movere, antequam ad contrahendum perducatur. Dum manus in utero manet, aër recens cubiculum libere intrare; fomenta frigida hypogastricæ admoveri; aqua frigida in faciem spargi, caput humiliter locari, et si aliquid in ventriculum ingeri potest, spiritus gallicus cum aqua calida, vel spiritus adusti haud parce dari debent. Frigoris applicatio ad femora et pubem, sub forma glaciei, nivis, aut aceti cum aqua, in exemplis Hæmorrhagiæ Uterinæ inertia uteri ortis, laudata fuit. Applicatio spirituum ad abdomen illis in exemplis utilis reperta fuit; quippe qui evaporatione subita frigoris multum efficiunt, cutemque stimulant, unde per consensum uterus stimulari censetur.

Postquam manus fuit immissa, si hæmorrhagia, a structura placentæ mutata, ejusque adhæsione ad uterum morbosa, profluere comperitur, pressura per dorsa digitorum in partem adhærentem facienda est: hæc enim separationem adjuvat, uterique contractionem ciet.

Nulla conamina facienda sunt, ad placentam vi evellendam ; hæc enim huic visceri læsionem haud parvam inferre possent. Quando conatus lenes ad partem placentæ, cujus structura mutata fuit, extrahendam parum sufficiunt, quæ pars jam separata est submoveri debet, alteraque relinqui processu putredinis abjicienda.

Ut stimuletur uterus, et hic processus adjuvetur, enemata salina subinde adhibeantur. Pars quæ relinquitur sæpe indicia molestissima, et nonnunquam per effectus suos mortem ipsam inducit. Si putrefactio superveniat, pars materiæ putridæ per absorbentia uteri in compaginem generalem pervehi queat, febremque, debilitatem summam et mobilitatem magnam efficere.

Sanies talibus in exemplis vagina effluens semper fœtidissima est et acerrima, et partes quascunque tangit excoriat. In regione uteri dolor ingens et teneritudo sentiuntur, quæ porro aliquando per totum abdomen serpunt, adeo ut ægrota pondus stragulorum lecti sustinere nequeat. Ad

irritationem allevandam, vires sustinendas, constitutionemque universam roborandam, opium per portiones magnas, cum camphora compositum, necnon vini copiæ haud parvæ debent. Summa cura cubiculum ægrotantis aëre recente perflari, munditiesque maxima coli debent. Aliquod mite vegetabile astringens, veluti infusum rosarum, sæpe in vaginam immittendum est; partes externæ in soluto tenui acetatis plumbi levandæ; et denique alvus rite soluta teneri debet.

Sic, dissertatione prope finita, solummodo insuper dicere volo, ut quos errores in hoc conatu ad Hæmorrhagiam Uterinam describendam, medicus expertus inveniat, exemplorum hujus morbi, adhuc a me visorum paucitati, eos attributurum spero; quam defectionem diutior experientia emendet; amore medicinæ scientiæ jamjam animus meus impletur, et vires acquisiturum eundo expecto.

FINIS.